

perioris hæresis, qui & innotuerint postea: & suum quoddam atque peculiare dogma habuerint, quemadmodum ex hoc loco apparet, utpote qui natalitia perditæ hominis Montani cæteris impensius coluerint. Hi enim non tantum Montanum ipsum, sed etiam Pepuzam, siue quia natiuitatis illius hic locus erat, siue incolatus domicilium, sunt venerati. Sic enim insani homines faciunt & idololatræ. Nam locis ipsis terrenis sanctitatē alligant, si quos indigenas honorant. Exorti sunt autem Pepuziani eodem tempore, quo Cataphryges, & variis nominibus iidem hæretici sunt appellati, ut de istorum ortu, successione, & propagatione, nihil sit nobis amplius necesse dicere.

2 *Hanc autem.*) En quò mentis humanæ vanitas tandem delabitur. Montanum, Christo relicto, sequuntur: ita Montani crepundia, natale solum, & patriam, id est, pestis generis humani productricem atque altricem terram venerantur, quã odisse debuerant. Hæc tanta est humani ingenii à puritate verbi dei discedentis cæcitas. Fuerunt autem hæc Pepuzianorum hypotheses. 1. Pepuzam, qui locus est in superiore Phrygia, esse cælestem illam Ierusalem & ciuitatem, de qua Prophetæ vaticinati sunt, & de qua est in epist. ad Hebr. 12. v. 22. & Apoc. 21. versu 2. & ad quam sit nobis omnibus aspirandum, cum tamen illa Dei viui ciuitas, non in terris ullis, sed in cælo ipso sit nobis reposita, Coloss. 3. Quamobrem vitam æternam illi in hac terra necessariò constituunt. 2. Mulieres ad ministerium Ecclesiasticum, contra verbi Dei præceptum, 1. Timoth. 2. vers. 12. & 1. Corinth. 14. admittunt, ut sint & Presbyteræ, & Episcopæ, id est,